



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

2 Quot sint genera pignoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

factum, siue præscriptis verbis. *l. Quæsitum. ff. De precario.*

Item, datur contra illum qui adoptauit, precario rogantem, *l. Si adoprauero. ff. De precario.* Datur item contra eum, qui dolose fecit, quo minus possideret, & hæres ex dolo defuncti tenetur, quatenus ad eum peruenit hæreditas in solidum. *l. Quæsitum. §. Eum quoque. C. §. Ultim. ff. De precario.* Datur & contra pupillum, quamuis tutoris auctoritas non interuenit. Nam quicumque habet rem precario datam, potest Iudicis officio compelli ad restituendum: Si verò rem pupillus non habeat, non obligatur. *l. Quæsitum. ff. De precario.*

Tertio quaeritur, Quo differat precarium à precaria, & à precariis? Apud Hostiensem in *Summa. titu. De precariis*, ponuntur quatuor versus: in quibus differentie continentur inter precarium, precariam, & precarias: hi nimium:

- Ria, Ria, Rium: tria sunt, quibus est caput unum,*
- Ria sunt solita per singula iustia renosci.*
- Ria fit ad mortem, non ultra vult renouari.*
- Rium fitur tunc, quando auctor vult renouari.*

Quomodo verum sensus est: Precariæ sunt res precibus petentium datae ad usum, sed quinto quoque anno repetuntur, seu renouantur; nisi earum traditio renouetur. Precaria, est res precario data ad usum alicuius, donec moriatur. Precarium, est res concessa alicui ad usum, quæ repeti potest ab eo, qui concessit, quando voluerit.

Et hæc quidem de Precario. Nunc de Pignoribus, & Hypothecis dicendum nobis more nostro, breuiter est.

DE PIGNORIBVS, ATQVE HYPOTHECIS.

Pignus ordine contractus, qui rei traditione completur, est contractus Pignoris, & Hypothecæ. Totus liber 20. Digestorum, sex in Titulos diuisus, est de Pignoribus, & Hypothecis. & in C. lib. 8. à Tit. 14. vsq; ad Tit. 33. continenter de Pignoribus agit. In iure etiam Canonico, li. 3. Decretalium, Tit. 21. De Pignoribus est Tractatum de Pignoribus, & Hypothecis edidit Antonius Negusantius Auditor Rotæ: alium quoque Franciscus Balduinus, & tertium Hugo Donellus.

Vnde dicatur, & quid sit Pignus.

CAPVT I

PIGNUS dictum est, quasi à pugno; quia res pignori data, pugno capitur, & stringitur; & quæ pignori dantur, manu traduntur. *l. Plebi. §. Pignus. ff. De verborum, & rerum significationib.* Vnde Pignus, proprie res est, quæ transit ad creditorem, cui traditur loco cautionis; vt in tuto habeat rem suam debitori creditam: quia tutius est pignori in-

cumbere, quam in personam agere. *Instit. De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. §. Furti* & plus cautionis in rem est, quam in personam. *l. Plus cautionis. ff. De reg. iuris.* Vnde

Primo quaeritur, Quid sit pignus? Respondeo, esse omnem eam rem, quæ creditori pro debito obligatur, & tradita desinit. *De actionibus. §. Item Seruiana.* Vnde licet depositum datur ad custodiam, sic pignus creditori datur ad cautionem, vt in tuto sit ipsum debitum recontactum. *Instit. Quibusmodi. contrah. oblig. §. vlt.*

Secundo quaeritur, Quomodo differat Pignus ab Hypothecâ? *In l. Si res hypothecata. §. Inter pignus. ff. De pignoribus, & hypothecis*, habetur: Inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonum differre. Hæc ideo dicit Martianus Iuriconsultus, quia pignus, Latium est nomen, hypotheca, Græcum. Et sicut hypotheca Græcis est res obligationi supposita, sic etiam pignus est res creditori obligata. At dicitur tamen nequit, quia pignus, & hypotheca in Iure antiquo tamquam due res distinctæ habeantur: vt hypotheca proprie sit res obligationi subiecta, quamuis non sit creditori tradita possessio: pignus verò proprie est res non solum obligata, sed etiam tradita creditori. *l. Si rem alienam. ff. De pignorat. actione. C. l. Plebi. §. Pignus. ff. De regul. iuris. C. l. Plebi. §. Pignus. ff. De regul. iuris. C. l. Plebi. §. Pignus. ff. De regul. iuris. C. l. Plebi. §. Pignus. ff. De regul. iuris.* Vnde pignus consistit in rebus mobilibus, vel se mouentibus, quæ transferuntur ad creditorem: hypotheca verò, in rebus immobilibus, quæ manent quidem penes debitorem, sed creditori obligata, & obstricte.

Tertio quaeritur, Quot modis in Iure vsurperur nomen pignoris, & hypothecæ? Respondeo multis. Primum, pro ipso rei nexu, & vinculo, vt eum quaeritur, Quibus modis pignus soluat.

Secundo, pro re obligationi supposita: vt eum dicitur pignus creditori traditum, pignus venditum, vel distractum: pignus idoneum, atque legitimum.

Tertio, pro ipso contractu pignoratitio.

Quæres, vtrumnam grana, creditorisne, an debitoris, sit talis contractus? Respondeo, pignus esse gratia vtriusque, & creditoris, & debitoris. *Instit. Quibusmodi. re. contrahat. oblig. §. Creditor.* Idque ratione comprobatur: quia pignus datur creditori, vt certa, & firma sit illi spes solutionis debiti. Est itidem in rem debitoris, videlicet, vt pecuniam mutuum accipiat: ac ideo pignus datur, quia alioqui mutuos illi numeros crederet nemo.

Quarto quaeritur, An lex municipalis, vel statutum aliquod de pignore decernens, etiam comprehendat hypothecam? Bartolus de hac re dubius fuit, teste Negusantio in tractatu de pignoribus, part. 1. membr. 1. numer. 9. Sed, vt idem ait Negusantius, quoties agitur de pennis, odiis, & fauoribus, nomine pignoris hypotheca continetur. Ita Bartolus, & Alexander apud Negusantium: idem etiam Bertachinus in Repertorio, vel Inlice, littera, l. in verbo Hypotheca.

Quot sint genera pignoris.

CAPVT II

COMMUNIS est Iuriconsultorum opinio, triplex esse pignus: conuentionale, prætorium, & iudiciale. *In l. Veteris iuris. C. De prætorio pignore*, tantum duplex genus hypothecæ constituitur: vnum, quod ex conuentionis, & pactis priuatorum hominum constituitur, & dicitur conuentionale: Alterum, quod Iudicium decretum contrahitur, & dicitur prætorium, seu prætorianum. At in *l. Cium ij. C. Communia de legatis. vers. Cui enim*, ponitur tertium genus, quod dicitur tacita hypotheca, quæ vi legis, sine vilo alio verbo contrahentium constituitur.

Pignus igitur in primis duplex est; tacitum, & expressum.

sum. Expressum quoque triplex, conuentionale, Prætorianum, & Iudiciale. Conuentionale pactis priuatorum hominum: Prætorianum, Prætorie iubente: Iudiciale officio, & sententiâ Iudicis contrahitur. Hypotheca itidem, aut est generalis, aut specialis. *l. Quamuis confet. C. l. Quamuis ea. C. De signoribus.* Generalis hypotheca in omnibus bonis alicuius constituitur: specialis in certis bonis alicuius.

Quibus ex causis tacita hypotheca contrahatur.

CAPVT III.

HYPOTHECA tacita, quæ vi legis inducitur, multis ex causis contrahitur. Primum causa dotis, vel dandæ, quæ promissa est, vel restituendæ, si data fuerit. *l. 1. §. Et ut plenius. C. De rei uxoria actione,* ubi ita statuitur: [Vt pro dotis obligatione bona ex utroque iactere hypothecæ tacite subiciantur.] Senfus legis est: vt obligata sint bona mariti ad restitutionem dotis, quam recepit, & vxoris ad præstandam dotem, quæ est promissa marito, & nondum soluta; vel ad compensandas res dotales euictas, nec non ceterorum, qui aut dotem, vel res dotales à marito susceperunt, aut pro vxore promiserunt.

Sed numquid tacita huiusmodi hypotheca extenditur ad bona paraphernalia, ita vt ipsius bona maneat obligata, pro his bonis vxori restituendis? Glossa in cap. Ex litteris, de signoribus. negat, ea bona tacite hypothecæ subiecta. Sed teste Conarr. lib. 1. Variar. resol. cap. 7. num. 7. communis opinio affirmat esse obligata. ex *l. Vbi ad huc. C. De iure dotum,* & ibidem Glossa, & ex *l. vltim. C. De pactis conuentu.* Glossa in cap. Ex litteris, solum dicere voluit tacitam hypothecam pro bonis paraphernalibus non habere idem prouilegium, quod inest tacite hypothecæ pro dote. Aut vt explicat Panormitanus in eo cap. Ex litteris, tantum significat Glossa, mariti bona non esse tacite obligata, quando ea bona penes se retinet vxor, ita vt eorum administrationem maritus non habeat; sicut & alibi vsu receptum est.

Quæres, An sint etiam mariti bona tacite obligata pro rebus acceptis ex donatione propter nuptias et facta? Glossa in cap. Ex litteris citata negat; at vero ceteri affirmant. Innocentius, Hostiensis, Ioan. Andreas, & Panormitanus in eodem cap. Ex litteris. Sic etiam Iasôn, Zahus, & alij, quos citat, & sequitur Conarruius loco præfato, num. 2. Et colligitur ex *l. 2. C. De bonis, qua liberis.* Sicut etiam mariti bona tacite manent obligata pro incremento dotis. *Authen. De equalit. dotis. §. His consequens,* & pro arribus, quas maritus accipit, vt est communis omnium opinio.

Secundò, Tutoris bona tacite obligantur pro bonis, & rebus pupilli: & bona Curatoris, pro bonis minoris. *l. vlt. ff. in quibus causis tacite contrahatur pignus. C. l. Si mater, C. eodem titulo. l. pro. Pro officio. C. De administrat. tuto.*

Tertiò, Si mater suscepta liberorum tutela, secundo nubat, priusquam, aut liberis tutorem dederit, aut eis, quod debetur ex ratione tutelæ gestæ perfoluerit, tum eius, tum ipsius quoque mariti, cui secundo nupsit, bona tacite obligantur liberis ex primo matrimonio genitis. *l. Si mater. C. in quib. cau. hypoth. tacite contrah.*

Quartò, Bona testatoris pro legatis ab eo factis, tacite sunt obligata. *l. i. C. Communia, de lega. C. Instit. De legat. §. N. offra.*

Quintò, Res empta pecunia pupilli, vel minoris, pupillo, vel minori tacite manent obligatæ. *l. Si tutor. C. De seruo pignori dato, manumisso.*

Sextò, Si pater in administratione bonorum aduentitiorum filij familias, alicui male gesserit, bona ipsius tacite

obligatione tenentur pro ipsis bonis aduentitiis, & pretij eorum, ab eo tempore, quo eorum bonorum administrationem habet. *C. De bonis, qua lib. l. Item hereditas. §. Sed eum tacitus.*

Septimò, Si pater, vel mater ad secundas nuptias transierit, omnia eius bona filiis ex priori matrimonio susceptis tacite obligantur. *l. Hac editale. §. penult. C. l. Si quis prioris. §. penult. C. De secund. nups.*

Octauò, Bona primipilorum tacite fisco obligantur, immo etiam mulierum ipsis nuptiarum dotes manent hypothecæ subiectæ. *l. Satis notum est. C. in quibus caus. hypothec. tacite contrahatur.* Primipilus erat, qui militari annonæ inter milites distribuendæ præerat. Dos solet separari, publicatis mariti bonis, sed in hac causâ Primipilaria cum illis concedebatur in subsidium, filij primipili eadem obligatione tenebantur: quamuis hæredes non essent sui patris primipili. *C. De primipilo, lib. 12.*

Nonò, Si quis aliquid contrahit cum fisco, eius bona statim fisco obligata manent. *l. Certum est. C. in quib. caus. hypothec. tacite contrahatur.* Vnde si quis vectigal, tributum, vel centum fisco debet, eius bona sunt tacite obligatione obstricta fisco. *l. i. C. in quibus caus. hypothec. tacite contrahatur.* Idem iuris est, cum quis vectigal, aut aliquid habet conductum à fisco. *l. Si chim præmium. C. De priuileg. fisci.*

Quæres, An tacita contrahatur hypotheca in bonis eius, qui ob delictum damnatus, pecuniam fisco penam debet? Respondeo, minime. *l. Quod placuit. ff. De iure fisci. C. l. i. C. De penis fiscalibus. lib. 10.* Vnde in *l. Rescriptum. ff. De pactis,* merito dicitur esse quosdam casus, in quibus fiscus hypothecam tacitam non habet.

Decimò, Si quis pecuniam mutuam dedit ad reficiendum ædificium, ei tacite hypotheca constituitur in ædificio ex tali pecunia restituto. *l. i. ff. in quib. caus. hypothec. tacite contrah.*

Vndecimò, Si vrbanz ædes, & prædia locentur, tacita hypotheca contrahitur in rebus inuectis, inductis, & illatis pro pensione, siue mercede locatorum debita. *l. Item quia. ff. De pactis. C. l. Eo iure. ff. Quibus causis hypothec. tacite contrahatur. C. l. Ceteri iuris. C. De locato, C. consuetud. Adem iuris est, si prædium vrbianum, alicui locatum deterior sit. *l. Pomponius. ff. in quibus causis hypothec. tacite contrahatur.* Idem dicendum est de inuectis, & illatis in horreum, vel diuerorium conductum. *l. Si horreum. ff. Eodem titulo.**

Idem quoque de inuectis, & illatis in stabulum conductum. *l. Eo iure. §. Stabula. ff. Eodem titulo.* Inuecta dicuntur, quæ iumentorum vectura, Inducta verò, quæ manu hominum, illata, quæ dorso imposita intromittuntur. Glossa in legibus allatis. Sunt qui opinentur, eandem esse rationem de inuectis, inductis, & illatis in nauim conductam. Verùm de his nihil expressè habetur in iure. Solum, qui id arbitrabantur, colligunt argumento à simili. Si inquilinus itidem rem alienam intulerit, dominus rei ius habet eam reperendi. Quod si inquilinus eam esse ferre, vel pensionem soluere recusauerit, penes locatorem ius manet eam retinendi contra inquilinum. Item si inquilinus intulit, sciens rem alienam, nullum ius ei, locatorive est retinendi. *l. i. §. penult. ff. De migrando.* Quod si inquilinus rem suam inuectam alienet? Respondeo, semper in ea tacitam manere hypothecam; quia ius pignoris, vel hypothecæ transiit in rem, ac eam semper comitatur.

Quæres, quid dicendum, si inquilinus alienet merces inuectas, & alias comparat, easque reponat loco earum, quas primum inuexerat? Respondeo, cum tabernam debitor creditori pignori dedit, appellatione tabernæ venire vniuersitatem mercium, quæ in ea sunt, & si eas merces per tempora distaxerit, & alias comparauerit, easque in eam tabernam intulerit, obligatas manere. *l. vltima. ff. De pignoribus.* & inquilino liberum est merces inuectas vendere; quoniam ea est mercium natura, vt sit.